DISSERTATIO PRACTICA,
Succinctè delineans indolem

RECTÆ RATIONIS HUMANÆ,

Nec non

AFFECTUUM,

Ad ejusdem dictamen sistendorum;

Quam,

DIVINO SUFFULTUS AUXILIO,

Approbante Amplis: Facult. Philosoph.
in illustri Academia Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO

Pl. Reverendi nec non Præclarissimi Domini
M. ANDREÆ WANOCHII
Phil. Pract. & Hist. Prof. Ord. celeberrimi,
Præceptoris ac Promotoris ætatem suspiciendi,

Publico examini modestè offert
BENEDICTUS LITTORINUS,
Visingzb. Smol. S. R. M. Stip.

In Auditorio Maximo 4 Aprilis
M. DC. LXXXV.

ABOÆ,

Exc. apud JOH. L. WALLIUM, A. T.

ALexander Magnus victor tot Regum & populorum, iræ succubuit; id enim egerat, ut omnia potius haberet in potestate quam *Affectus*, nec sciebat imperare sibi, maximum imperium esse. Miramur, *Patroni* ac *Fautores* plur. suspiciendi, tantam in Ethnico Rege ἀπαθίαν, in Victore omnium gentium mollitiem ac ἀδυναμίαν, in prudentissimo Deorum filio (ut dici voluit) cœcitatem; qui à teneris excelsæ indolis suæ egregia proferre novit indicia; qui Aristotele Præceptore, Philosophiæ præceptis, Virtutibusque quibusdam Principe dignis optimè imbutus erat; qui plura quam sol viderat capere gestiebat, Affectus tamen pravos ad ultimum supprimere nescie-bat. Dolemus eandem hanc maculam intra Christianæ Ecclesiæ pomœria pari-

ter irrepsisse, radicesq; egisse paulo quam par esset altiores, ubi multi inveniuntur Virtuosi secundum *dici*, sed pauci secundum *esse*: multi forinsecus nitent, intrinsecus verò sordibus scatent: multi humilem virtutis semitam spernunt, & mundanarum deliciarum cacumina celeres occupant; Scilicet, liberi salutari gestiunt, litando verò vitiis se servitutem incurrere nesciunt. Ne itaque divinus homo ita bruteſcat, fœdisvè se obruat carnis lenociniis, seriâ æstimatione perpendat pœnam subsecuturam prorsus horribilem: quin & ob oculos ponat summam Universi hujus *Thaumaturgi* φιλανθρωπίαν, cujus viscera funesto protoplastorum lapsu tacta sunt, ideoque splendidam imaginis suæ structuram æstu Satanæ in totum destrui non est passus; sed ineffabili misericordiâ, rudera quædam supereſſe voluit, quibus intellectus nostri lumen, suam originem deberet, cujusque beneficio in secretiorem Philosophiæ tam *Theoreticæ* quam *Practicæ* deveniremus cognitionem; quarum,

hæc

hæc quidem Praxi, seu summi Boni acquisitione ejusdemq; exercitio, illa vero *Theoriâ*, nudâ Entium contemplatione absolvitur. Quanta autem in florentissimo hoc Philosophiæ viridario, sectatori indefesso obveniat jucunditas, quanta subtilitas, qvanta deniq; Disciplinarũ concordans amœnitas, gravitasque rerum, non possũ non satis admirari: satiabitur n. hic *Intellectus* omnia lustrandi avidus, ornabitur aureo diademate *Voluntas*, Virtutum nempè corollâ, quæ hominem supra mortale fastigium provehit, quâque nullus citra felicitatis Civilis dispendium carere potest. Quid namq; refert scientiâ cunctarum rerum præcellere, & in quævis vitia, relicto Virtutum tramite præcipitari? Ut sonat proverbium vulgare: *Qui proficit in literis & deficit in moribus, plus deficit quam proficit.* Quid inquam prodest rebus gestis inclarescere, propriæq; vitiatæ naturæ servitutem subire? Hæc considerans, attentavi peculiarem *Objecti Ethici* partem simplici stilo exponere publicoq; sistere examini, præmittendo eidem umbratilem *Recta*

Rationũ, ceu *Affectuum* directricis, delineationem, ad cujus normam omnes inordinati motus exigendi sunt corrigendique: quæ ad hæc demonstrabit media, quibus nobis imperare, summumq; imperium obtinere discamus. Interea eò progressus sum audaciæ, ut *Vestris Nominibus Patroni, Mecœnates & Fautores* summè devenerandi, Dissertatiunculæ hujus non dubitaverim adornare frontem; adegit enim me eò partim præclara vestra in me merita, partim etiam ut hoc qualicunque munusculo devoti pectoris mei debitam declararem promtitudinem. Suscipite itaque hoc quicquid sit operis, vultu benigno, nec non ut hactenus laudabiliter sueviſtis, Clientulum vestrum in posterum etiam amplectimini, qui pro vestra incolumitate, ad vitæ usque finem studebit calidissima fundere vota.

BENED. LITTORINUS.
A. & Resp.

Rectrix

RECTRIX μικροκόσμε SANA RATIO, *benignissimo Astripotentis nutu indies in piis iisque industriis regerminans, quanti momenti res sit, nec diviniora fatis exponere possunt ingenia; quippè quæ toto genere præclara. Ortum enim debet imagini Jehovæ, excellentes merèq; divinas continuò exerens operationes! Hæc afflatu ducta sancto mysteria sacra evolvit; hæc salvificâ innixa fide, sanctissimum Numen, Ens Entium concelebrando, cœlestia sacraria intrat; hæc, actiones humanas, quo legi cum Morali, tum Civili symphonizent, admirando acumine dirigit. Præsidet fulgens cuiq; statui! Quid enim Potestas publica in gubernandis imperiis sine hoc diademate & manuductore? Quid Theologi Sacræ scripturæ mysteria ab hæreticorum fermentis vindicaturi, absq; hoc adminiculo? Quid Jurisconsulti in enodandis tricis juridicis, hac directrice destituti? Quid subtiles Philosophi hoc oculo orbati? Cæci profectò. Quid denique qvivis homo in solo salo q; oberrans sine hoc rectore & gubernatore, nisi errabundæ ad instar ovis. Cedro certè digna, devotioriq; mentis scrutinio ac veneratione Cœlestis hac portio,*

RE-

RECTA RATIO, *quam in frontiſpicio hujus opellæ exiguo adumbrabo penicillo, dum brevibus* Affectuum *naturam attingere in animum induxerim; ſcilicet quò primùm innoteſcat indoles* rectæ Rationis, *ad cujus dictamen, tanquam lydium lapidem,* Affectus *examinandi, ut eò felicius ἀξίαν pravi appetitus, recalcitrantis* rectæ Rationi, *ad optima nos hortanti, corrigamus. Ideò non eſt quod miretur* B. Lector, *de diſſertationis hujus methodo, dum viderit ſciagraphiam* rectæ rationis *ipſis* affectibus *præmiſſam eſſe; evincunt enim hoc & Materiæ dignitas, & ipſe ſcopus quem intendo primarius, miſſis vanis ſubtilitatibus, quâ ratione in notitiam τῦ γνῶθι σεαυτὸν deveniamus, carnûq; illecebras, lenociniis ſenſuum & titillatione affectuum, non modo vitioſo habitui irradicatas evellere, verum etiam in ipſis cunis extingvere queamus; id q; manuductione nominati ductoris, unitè ad monitum Pauli:* Πάντα ἐις οἰκοδομὴν. *Conatus interim hoſce B.L. benignè inſpiciat, dexterèq; interpretetur, eſt quod officioſe efflagitem. Momos, è colluvie ſycophantarũ, ſi qui ſunt, alierũ exercitia theonino dente rodẽtes floccipendo, auſpiciũ & ſucceſſũ feliciẽ devotiſſimè imploranti;*

Due me, nec ſine me per me, Deus optime duci:
Nam duce me pereo, te duce ſalvus ero!

J. N. J.

I. N. J.

MEMBRUM PRIMUM,

Rectæ Rationis existentiam & Definitionem tam nominalem quam Realem insinuans.

§. I.

ORnamentorum generis humani præstantissimum, *Rectam* scil. hominis *Rationem*, pro tenuiori ingenii modulo, hoc membro primo, publico sobriè philosophantium placidoque exhibituro judicio incumbit, in ipso limine dissertationis, existentiæ ejusdem βεβαίωσιν brevissimis adstruere; quoniam deprehendit quilibet divinum hocce depositum, viperinis adversariorum telis satis diu vexatum esse, qui *Rationis* vocem non sano sensu, sed pro ipsâ naturæ hominis corruptæ vitiositate accipiunt, & qui statuunt nullam prorsus rectitudinis notam homini per naturam competere, sed notitias naturales in ipsâ πρωτοπλάσων apostasiâ totaliter intercidisse; è quorum numero sunt Flaciani, Photiniani, multiq; alii. Verum horrendam hic absurditatem primo cernimus intuitu; eo enim ipso, quo *notitias naturales* tollere allaborant, conditionem humanam, divinis

hisce

hiſce ornamentis præcipuè illuſtrem, exuunt, affectatâque mentis cœcitate infra brutorum, quæ mancipia ſenſuum ſunt, ſtatum ſe demittunt, qui deinceps nullum de præceptis morum, deque Deo colendo internum poſſident ſenſum; & qvoniam ἐκ προαιρέσεως eundem ſuffocarunt, ideò brutum ipſorum ingenium, ſemotis honeſtis moribus, veriq; Dei agnitione & cultu, eos in quaſvis fœdas idololatreias præcipites dedit, ut etiamnũ in tenebris palari cogantur. Deinde contrariatur impia eorũ aſſertio Auctoritati humanæ, quam tutiſſimam colligimus è Philoſ. ſobr. Meiſn. part. 1. ſect. 2. c. 2. credentes, *Quasdam rectitudinis notas ſeu imaginis divinæ portiunculas in humanâ mente reſiduas, veluti exigua de ſplendido ædificio rudera*, quibus vis mentis κριτικὴ exornata, rectum & honeſtati congruum de rebus judicium ferre poteſt. Cui illuſtri ſententiæ ſubſcribunt omnes orthodoxi Theologi pariter ac Philoſophi, *Rationis* principia defendentes, quod *originaliter* & *inhæſivè*, non quatenus peculiari revelationis lumine à Deo patefacta, ex ipſâ immediatè naturâ fluant. Exempla nobis offerunt, plurimorum Philoſophorum de virtutibus ſectandis vitiisque averſandis præclara inſtituta, etiam per multa retrò ſecula luci tradita, quæ invicem collata egregiam ſpirant harmoniam, quamvis diverſis au-

Auctoribus originem debeant. Unde satis dispaleſcit, hæc ab eodem interno principio deprompta eſſe. Tertiò, impiam hanc & hæreticam calumniam damnat ſacer codex, oſtendendo Rom. 2. 14. 15. quod ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῶ· οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως &c. Ex hiſce colligere licet: *Si gentes* τῇ φύσει *faciunt, quæ legis ſunt; ſi habent legem cordibus inſcriptam; ſi eorundem conſcientia honeſta facientes excuſet, turpia committentes accuſet; utique infallibiliter concluditur, lumen naturale, in mente humanâ, poſt lapſum, exiguum licet, remanſiſſe, ad diſcernendum honeſtum à pravo, verum à falſo, virtutes à vitiis &c. nec non ex iſto lumine rectam de rebus judicandi facultatem ſolertiamque.*

§. II.

Vindicatâ rectæ Rationis exiſtentiâ, ab impugnationibus adverſariorum, neceſſum eſt ipſius naturam & indolem indagare, idq; more philoſophantium bifariam: I. per Ὀνομαθολογίαν, quâ inquirimus, 1. Ἐτυμολ. Vulgo notum eſt, *Rationem* derivari ab antiquo verbo, *reor, reri,* quod eſt certis rationibus aliquid

quid ſtatuere: quod apud Cic. *in Officiis*, & alios claſſicos Auctores uſu venit. Accuratius verò rem ponderantes, de facili perſentiſcimus, duo ad *rectæ Rationis* conſtitutionem requiri, videlicet, (α) Scintillulas imaginis divinæ, è ſplendidiſſimo ædificio in mente reſiduas, unaque nobiſcum ortas, actum mentis noſtræ in judicando dirigentes. (β) δύναμιν κριτικὴν, quæ certum involvit reſpectum ad hoc agendum, illud fugiendum. De hiſce junctis, exſurgit divinum illud ornamentum quod *Rectam* appellamus *Rationem*, quam reſpectu Objectorum, diſpeſcimus in *Theoreticam*, cum de rebus *Theoreticis*, & *Practicam*, cum de Practicis diſceptationem inſtituat, judiciumq; ferat. Hæc cœleſtis moderatrix gubernat hominem, ne in fœtida vitiorum deflectat tesqua, ſed honeſta eligat & turpia averſetur. 2. Ὁμώνυμ. Errorum genitricem: Sciendum (α) per *rectam Rationem* hic non intelligi fontem ſeu ſcaturiginem rationis primariam, alteram partem hominis eſſentialem videl. *Animam rationalem*. Nec (β) Cauſam ratiocinandi proximam, facultatem nempè intelligendi tantum, quæ nomine intellectus etiam venit. Neque (γ) ſenſu juſto latiori, receptam, pro quolibet mentis diſcurſu, prout ex principiis tam veris quam erroneis provenit, ſic enim erroribus plurimis obnoxia. Sed (δ) impræ-

ſentia-

ſentiarum nil aliud per *rectam Rationem* intellectum volo *fundamentaliter* & *materialiter*, quam ipſam potentiam rationalem, & vim judicandi ſanam, incorruptam, luceque veritatis illuſtratam: *Formaliter* autem & *ultimatè* ipſius intellectus judicium principiis naturâ cognitis conforme. Quaſi diceres ſignificationem *rectæ rationis* complexam, quæ & potentiam & actum involvit. Huic ſententiæ ceu veriſſimæ adſtipulantur Philoſophi plures: Itterus lib. II. cap. 3. idem claris verbis exponit, dicens; *Per rectam Rationem intelligimus rectum intellectus judicium, quod poſt lapſum adhuc eſt reliquum, ſive quicquid ex principiis naturalibus & nobiſcum natis rectè deducitur.* Quapropter eam *directricem actionum* nuncupat Chriſt: Liebenthal Exer: II. Quæſt: 14. eandem ſententiam confirmant Hornejus lib: 2. c. 2. & B. Axel. Kempe. p. 102. 3. Συνων. Voces rectæ Rationi ſynonymæ ſunt, judicium rectum, lux veritatis, dictamen Rectæ Rationis &c. etiamſi infitendum non ſit τὸ γνωστὸν τ̃ θε̃ Rom. 1:19. δικαίωμα τ̃ θε̃; ἔργον τ̃ νόμ γεγραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις; καινὰς ἐννοίας, à quibusdam pro Synonymis venditari: fit tamen id non *propriè*, ſed tropice & συνεκδοχικῶς, pro complexu facultatis judicatricis

&

& facultatis ejusdem reſiduâ adhuc πλειόνι, quæ in primis principiis conſiſtit.

§. III.

Enodatis leviter iis, quæ ὀνομαλολ. attinere videbantur, pro ratione inſtituti, 2. περγμαθολογίαν ſeu *Definitionem realem*, paucis exponendam aggredior, quæ ſalvo aliorum judicio, talis ponitur:

Recta Ratio eſt judicium Intellectus de rebus practicis, & theoreticis, ex principiis nobiscum natis, eorumq; concluſionibus provenions.

Definitionem hanc περγματώδης, ex accuratiſſimorum Philoſ. ſcriptis hauſtam, commendant, concinna brevitas, perſpicuitas, & quod ſit ſuo Definito adæquata; conſtat quippe conceptu convenientiæ, nec non Differentiæ ſibi congruo. 1. *Genus* proinde hic eſt *Judicium*, mentis videlicet recta de rebus tam Theoreticis quam Practicis ratiocinatio ſeu diſquiſitio, ex principiis naturalibus hauſta. Commodiſſimè itaque per *ipſum judicandi actum*, intelligendi facultate, lumine naturæ irradiatâ præſuppoſitâ, *rectam* definimus *rationem;* quoniam more philoſophantium, hic non tam de ὀσίᾳ *intellectus*, quam ipſius ἐνεργείᾳ ſolicitus ſum, quæ etiam è ſupra allatis ſatis conſpicua eſt, & mox pluribus inno-

innoteſcet. 2. *Differentiam* conſtituunt res practicæ & theoreticæ, ex principiis naturæ & cõcluſionibus inde deductis dignoſcendæ; quæ etiam *Materiale* & *Formale* includũt. *Materiale* ſunt *res practicæ & theoreticæ*, quæ ſcrutinio *Rationis* ſubjiciuntur ventilandæ: *formale eſt*, de rebus *judicium*, ex principiis naturalibus & concluſionibus inde formatis. Nec quicquam cenſetur actionibus humanis accommodandum, niſi quod natura præmonſtret, uti benè Hornejus loco prius Citato; *Quotiescunq; dicitur, rectam Rationem hoc vel illud ſvadere, aut Rectæ Rationi aliquid eſſe conſentaneum, id intelligitur, verum & certum eſſe, vel quia ſit principium naturâ notum, vel potius quia ex hujusmodi aliquo principio per bonam conſequentiam deduci poſſit.* Cauſæ Externæ, Efficiens rectæ rationis & *Finis* in expoſitione ejusdem Exiſtentiæ facilè dignoſcuntur, ideò hic actum agere ſuperſedemus.

§. IV.

Poſtulat methodi ratio, *Objectum rectæ Rationis* in lucem producere, *Principia* videlicet *Practica*, per quæ primariò inſignes exerit operationes, cunctis hominibus eam injungens legem, ut Deo ἐυσεβῶς, ſibi σοφρόνως, proximo δικαίως vivant: Puta, quantum ad pri-

primam χειραγωγίαν & imperfectè. Et quamvis multis retrò seculis de eorundem exiſtentiâ, etiam inter eruditiſſimos, utpote Platonem, Ariſtot. &c. diverſiſſima extitêre ſententiarum divortia, velo ſilentii jam tegenda; nulli tamen ſanæ mentis & rationis, modernis temporibus, non ſunt conſpicua; quæ uno ore fatentibus tam Theologis quam Philoſophis non ſunt mera δύναμις, tandem poſt miniſterium ſenſuum ſemet in actum exerens, ſed habitualis & connaturalis quædam qualitas, utpote nervoſè diſquirit Præclariſſ. Dn. Præſes meus, *in Parte Generali Phil. Pract.* γυμνάσμ. IV. quo B. L. remitto. Superſunt enim è ruderibus imaginis divinæ in nobis generalia hæc principia practica: ut de theoreticis hic nihil:

Deus eſt, & ille glorificandus.
Honeſta ſunt facienda, turpia fugienda.
Nemo lædendus, ſuum cuiq; tribuendum.
Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Hæc etiam legis naturæ nomine ornantur; quæ dum violantur, ſtimulos quisquis in corde perſentiſcit conſcientiæ accuſatorios; dum verò vigorem obtinent, cordis & conſcientiæ tranquillitatem pariunt dulciſſimam. Hiſce tanquam fuleris præſuppoſitis, per mentis diſcurſus, uſum & experientiam formantur concluſiones, ſponte a primis fluentes;

entes: utpote, *atheismus fugiendus*; *Alienis bonis abstinendum*; *Proximi vitæ non insidiandum*; nec non virtutum Ethicarum præcepta omnia.

§. V.

Usus *Rectæ Rationis* ut est amplissimus, ita cognitu summè necessarius: præter enim munus illud ministeriale, quod in rebus obit Theologicis, totius Philosophiæ fragrantissimũ peragrat hortum, spinosas heterodoxorum fabulosasq; sophisticationes disturbando, semitam, statuæ adinstar mercurialis, adornans planissimam. Illa ipsa, lydius est lapis, ad quem singulæ Disciplinarum Philosophicarum Affectiones ac species exactè examinandæ, probandæ adq; ejus amussim & stateram expendendæ; quod unanimi Philosophorum applausu, usu venire manifestum est. Instituti verò memor singularem ejus deprædicabo usum in Philosophia Morali: nectit namqve ibidem sibi vinculo sororio insignes flores ethicos, quod asserere non dubitavit quondam Aristoteles dicens: ἀγαθὸν μόνον ἡ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, ἀλλ' ἡ μετὰ τοῦ ὀρθοῦ λόγου ἕξις ἀρετή ἐστι, lib: 6. ad Nicom. Et Excell. B. Meisn: demonstrans *ipsam essentiam & actum boni vel Ethicæ Virtutis consistere in ipsâ cum rectâ ratione & lege naturæ*

turæ convenientiâ. Quamobrem Practici formam virtutis in mediocritate consistere docent, indicantes eo ipso, modum cujuslibet actionis, rectæ rationis dictamine definiendum esse, ad quod prudentes singulari dexteritate, tanquam omnium actionum suarum metam ac scopum collimant, inq; eâ quiescunt. Idem asseruit suo tempore Seneca lib. 9. Epist. 67. dicens; *Quandoquidem recta ratione virtutibus humanis inducitur regula, certè virtutem sectari nil aliud est, quam rectæ rationi obedientiam præstare, quod qui fecerit, facilimè virtutis particeps efficitur, & qui rectæ rationis dictamen sequitur, à virtutis tramite non aberrabit*; quoniam ea ipsa est νόμος ἀψευδὴς, lex vera, ut apud Grot. de jur. b. & p. in annot. à Philone ad C. 1. dicitur apta & potens ad jubendum & dehortandum. In statu Politico & OEconomico, ubi divina hæc moderatrix exulat, nonne cœca dominatio, meraq; confusio? Quod v. proni simus, sacrum hunc à Deo institutum ordinem invertere, inq; devia vitiorum sæpius deflectere, inordinati, jugumq; rationis excutientes causant appetitus, qui alias lex membrorum legi spiritus oppositus à Paulo nuncupatur Rom. 7. βλέπω ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου, ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου &c. de

qui-

quibus in membro ſequenti, b. c. Deo! Hiſce, de præſtanti utiliſſimâq; μικροκόσμε Dominâ ac rectrice ſimpliciſſimè dictis, adquieſco, ſublimiora, maturis ingeniis, quibus hæc materies digna, reſervans.

MEMBRUM SECUNDUM,
Affectuum naturam in Genere evolvens. §. I.

Actum eſt, in membro primo, de *Appetitu & Affectuum* moderatore, *rectâ Ratione*; nunc verò, ſagacis ac providæ naturæ ſolertiam introſpicere placet, in ſubordinandis Affectibus, tanquam fidis ſatellitibus; quibus princeps pars hominis, in ſocietate Civili inſignes exerit operationes; quamobrem non nulli, ob arctam connexionem affectuum cum virtutibus, virtutem ſalutavêre, ipſam moderationem affectuum; haud inconvenientèr ſtatuentes, almæ virtutis officium eſſe, intra mediocritatem affectus coërcere, ad ſententiam Peripatetieorum; idq; non ſine cauſa: nam, uti homo duabus diverſiſſimis partibus conſtat, animâ videlicet & corpore; ita perpetua appetitus & Intellectus viget pugna, quæ, quando affectus ad mediocritatem reducuntur, & à ratione intra limites honeſtatis coërcentur, quodammodo expirat. In contrarium v. Stoici abeunt,

penitus eosdem eradicantes, seq; ipsos ab omni affectu prorsus immunes asserentes. Nescientes, hoc ipso se naturæ ordinem invertendo, lapidum ac truncorum sortem incurrere: Norunt enim etiam illi irâ ardentes, se iraſci, tristes tristitiâ se affici, nec nesciunt aliter irâ, aliter gaudio se affici ac disponi. Nostrum v. eorundem existentiam nullus in dubium vocat.

§. II.

Subordinationem facultatũ in μικροκόσμῳ planè stupendam, mirâ cernimus jucunditate, quarum basis & fons est Anima rationalis, suis stipata satellitibus primariis, Intellectu & voluntate; nec non secundariis, risu & sermone. In hac officina concinna est operatio, Intellectus cognoscentis omne Ens, sub ratione veri, idemq; monstrantis Voluntati, sine tamen ullâ coactione, bonum amplectendi & malum aversandi; nam circa utrumq; ipsa liberrimè versatur. Quibus iterum subordinatur Appetitus sensitivus, circa expetenda vel fugienda occupatus; cui, ut eò felicius sine optato indipiscatur, Affectuum ministeria planè egregia juncta sunt, quæ actionum nostrarum subjecta nuncupantur, à Christ. Liebenthal; de quibus jam paucis disquirendum. Sed antequam altius in Thematis hujus evolutionem descendam,

incumbi

incumbit naturam ejusdemq; Indolem breviter enucleandam sistere; 1. Ὀνοματολογίας expositione; ubi ordimur à vocis, α. Etymologiâ. Satis innotuit, Affectus ab afficiendo originem trahere, quod significat, ratione peculiari seu commotione in rem ferri, eamq; disponere. Græci eos πάθη à πάσχειν, vel inusitato verbo πήθω, quod est pati, derivant. Galli *affection*. Apud Auctores, utpote Juvenalem, pro studio, cupiditate & desiderio usu venit: *Si res ampla domi similisque affectibus esset*, β. Ὁμωνυμία: Sic *latè* sumitur, pro quocunque animi vel corporis motu & affectu, sive is leviori negotio, sive operosiori difficultate removeri possit. *Strictè* pro Affectibus contactu, utpote, siti, fame, metu, gaudio, quovisve periculo ortis. *Propriè & adæquatè* appellantur Affectus, motus appetitus sensitivi, in persecutione boni & fugâ mali. Quæ significatio, hic loci est maximè congrua, ut in sequentibus patebit. γ. Συνωνυμία: *Affectus*, *commotiones* cum alteratione sanguinis, *perturbationes* mentis, jugum rectæ rationis sæpè decutientes, nominantur. Græcis, ut dictum πάθη seu πάθος, licet aliqua actio in affectibus concurrat, passio tamen principem locum tenet: quod Cl. Sperl. in sua Zoolog.

Physica p. 104. explicat; *quod Affectus sit passio, non tamen ea quæ demonstrationem ingreditur & affectio dicitur, nec illa quæ receptio formæ est, sive substantialis sive accidentalis. Nec ista, quæ actioni Opponitur & peculiarem constituat Classem; sed quæ tertiæ speciei Qualitatis est. Ibi enim datur passio & patibilis qualitas. Passio in eam dividitur quæ animi & corporis est; Animi passio nunc notatur, qualis lætitia, tristitia non corporis, qualis rubor & pallor.*

§. III.

Evolutis breviter iis, quæ vocis originem concernere visa sunt; 2. ad ipsam Definitionis Realis ventilationem progredior, quæ licet variis variorum Præcell. Philosophorum subjacet judiciis, iisq; hac in re salvis, mea talis est:

Affectus est motio appetitus sensitivi, absq; naturali mutatione corporis, ab Objecto bono vel malo à phantasiâ proposito ac æstimato, ad illud assequendum, hoc vitandum.

Circa hanc πραγματώδης considerationem, duo veniunt obiter notanda, 1. Genus, cujus vicem sibi vendicat motus, quod proximum & legitimum esse probamus tribus rationibus, ex ipsius animi benè affecti qualitatibus, eidem continuò insitis, a. δυνάμει

πάθη sive potentiâ naturali, quæ mutationis subitaneæ prorsus expers, cui obnoxii affectus, quorum beneficio potentes, proclives ac apti reddimur ad ejusmodi motus. β. ἕξει, habitu longo rerum usu, crebrisque actionibus acquisito, affectus dirigenti, qui ultra excitantur, priusquam perficiatur habitus. γ. Potentiæ naturalis ἐνεργήμασι, Operationibus seu motionibus: unde tales elucent affectus, quales potentiæ naturalis motus, quibus originem debent. Quod planis verbis exponit Dithmarsus lib. 2. Syst: Eth: dicens, *Genus Affectuum est motus, quia eo mediante animus noster velut commovetur, vel amando, gaudendo, desiderando, irascendo* &c. 2. Differentia, quæ commodissimè desumitur, α. à subjecto- β. Objecto. γ. Causa Efficiente & δ. fine affectuum. α. De subjecto varias easq; diversissimas videre licet sententias, quoniam affectus, dicunt nonnulli, homini à natura dati sunt, ut sint quasi calcaria & stimuli ad agendum eum incitantes. Quidam Cor affectuum immediatum & proprium subjectum asserunt, utpote Zabarel: lib. 4. de Meth: c. 14. Magir. in Phys. Vendel. & alii plurimi. Alii verò animam sensitivam, teste Coll: Conimb. disp. 6. Arist. in Eth. q 3. Art. 1. &c. *Quocirca affectus definire solent, quod sint motiones facultatis appetitivæ & spiri-*

tuum

tuum cordis, ab Objecto, quod per vim imaginandi, vel jucundum nobis vel molestum apparet, pro molestiâ vitandâ, assequendaq; jucunditate. Accuratius verò rem ponderantibus, nunquam non innotuit, hominem duplici ornatum esse appetitu', sensitivo nimirum & Rationali, qui alias voluntas dicitur. Quodnam horum affectuum *subjectum* constituat, è supra dictis facilè liquet, & præcipuè ex ipsâ definitione, motum insinuante è præcognitione Objecti, quo cor modo contrahitur, modo dilatatur; quoties enim animus affectu gravi turbatur, sine tamen naturali mutatione corporis, toties spiritus agitantur, sangvis ad exteriora corporis diffunditur, vel ad interiora remeat, unde totum corpus sæpe numero haud levem passionem sentit. Ejusmodi in facultate materiali radices agere cuivis obvium est. E contra voluntatis motiones nullum agnoscunt commercium cum corpore, nec à temperie ejusdem dependent; quoniam in spirituali facultate absq; motione corporis peragũtur, quamvis interventu appetitus sensitivi aliquando corporis aliqua mutatio fiat. Nec tot animi motus persentiscerem⁹ inviti, si extra Voluntatem affectus non divagarentur. Relinquitur itaq; propria *affectuum* sedes Appetitus sensitivus per corporea organa se exerens. Quod ulterius dispaleſcit, attendendo tres

in

in excitandis affectibus vinculo arctiori junctos esse motus. Primus oritur oblatâ objecti cognoscendi specie, unde facultas cognoscens, ad illud apprehendendum ac dijudicandum allicitur. Secundus ab objecto cognito, nec non rationis beneficio æstimato, ad apprehensionem vel fugam; unde profluit facultas appetens. Tertius denique alteratione spirituum, qui cor & reliquum corpus afficiunt. Hinc patent naturæ Affectuum penetralia, è triplici hac motus delineatione: In primâ eorundem origo cernitur; in secunda ratio formalis, inq; ultima effectivâ motiones corporis manifestantur. Cui sententiæ alludunt Liebenthal: pag. 100 in Colleg. Eth: nec non Sperl: Zool: p. 101. Cognito, sic appetitu sensitivo, quem affectuum posuimus subjectum, qui ad calculum Philosophorum brutis etiam competit, quocirca eis affectus quoque competere concedimus; quippe experientia quotidiana sufficienter declarat, cuncta animantium agmina στοργῇ naturali in sobolem ferri; etiam quorundam ἀνπαθειαν; insignem adhæc in iisdem sæpius deprehendimus agilitatem & promptitudinem appetendi bonum, declinandi malum, fovendi sibi devincta, aversandi adversa &c. Idem cernere licet in infantibus usu rationis destitutis. Sunt tamen nonnulli affectus generi

humano proprii, in honestatis rerumque moralium castra discretivè descendentes.

§. IV.

Circa Differentiæ evolutionem, ad naturam Affectuum dignoscendam, requiritur β. Objectum nempe *Bonum*, sive ὄντως, sive φαινομένως sic dictum; & *malum*, quod beneficio facultatis cognoscentis percipimus, operâ phantasiæ, ad rectæ rationis normam examinandum; non tamen absolutè, sed in respectu ad bonum & malum, delectationem vel tristitiam nobis adferens, appetitum aliàs cœcum, fomite quasi commovet ac incendit. Hoc homini non solum à sensibus, verum etiam Intellectu proponitur: brutis verò solis sensibus. Unde μικρόκοσμος cunctorum animantium Rector ac Dominus, scrutinio Intellectus præclaras res non solummodo cognoscit, verum etiam cognoscendo appetit, appetendo movetur, quoq; insigniori auctus fuerit prudentiâ, eò accuratius iisdem afficitur. Quocirca dum *Phantasia*, operâ rationis concurrentis, objecta æstimat, tum animus absq; ulla hæsitatione objectum bonum eligit, illudq; apprehendit & malum constanter rejicit. Sin verò sola *Phantasia* objectum sensuum dijudicet, sæpius ἄλογοι pravitq; Affectus suboriuntur, quales ostendere solent bestiæ, judiciumq; rationis an-

tever-

revertentes, nec non infantes, usum rationis ignorantes. Hinc dispalescit dissentientibus Intellectu & Phantasiâ, fluctuationem animi exoriri, quæ discordia non prius componitur, quam vel ratio affectus à judicio Phantasiæ excitatos suppresserit, vel se Dominio affectuum subtractam excœcatamq; submiserit; de quibus plura infra.

§. V.

Causa Efficiens Affectuum proxima est Anima sensitiva; & cum superior anima habeat omne id quod inferior, rationalis etiam anima & facultatum & affectuum Efficiens est, unde Aristot. ait *tria esse in anima, Affectus, facultates & habitus. Per facultates idonei reddimur ad Affectus capiendos; per habitus ad habendos eos benè aut malè, quod pluribus exponit Sperl. in sua Zool.*

§. VI.

Sequitur ultimo loco, Finis Affectuum consideratio, ad quem tanquam scopum præfixum, omnes affectuum motus summo studio collimant; Estq; vel *Proximus, vel Remotus.* Proximus est bonum morale ὄντως tale, prævia cognitione, beneficio rationis non solum æstimatum, verum etiam apprehensum, & è contra malum rejectum. Remotus est, ut honestas, salus & incolumitas obtineatur. Ultimus, Gloria Dei, ad mandatum

datum Sp. S. Col. 3. 17. πᾶν ὅ τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ, εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ δι' αὐτοῦ. Consideratio hæc Finium, insignem Affectuum in societate Civili deprædicat præstantiam ac usum, contra quosdam vesanæ mentis susurrones, præcipuè è grege Stoicorum, eosdem toto genere pravos existimantes; Indicat namq; eorundem finis, eos in salutem non modo hominis verum etiam animalium brutorum tendere, nobisq; inditos virtutum esse incitamenta, ne animus brutescat, sed ad dictamen rectæ Rationis hisce tanquam stimulis excitatus, virtutes majori jucunditate ac promptius amplectatur, vitiaq; expeditius aversetur, quod horum expers vix exerere possit. Manent itaq; naturâ suâ boni omnes, quia naturâ nobis insiti; & naturalia omnia bona; objectorum vero & subjectorum respectu cum leges rectæ rationis violant, ejusq; dictamini adversantur, vitiosi evadunt nonnulli, quos candidus virtutum æstimator, beneficio Rationis, in regiam viam iterum flectet. Hæc de Affectibus in Genere dicta sunto.

MEM.

MEMBRUM TERTIUM.

Affectus in ſpecie levitèr attingens.

§. I.

HActenus expoſui duobus membris præcedentibus, tam Rectæ Rationis, quam Affectuum in Genere conſideratorum, umbratilem delineationem; monente itaq; ratione inſtituti, in intimiorem eorundem devenire cognitionem, conſultum duco, ſpecialius in affectuum naturam, hoc 3. Membro inquirens. Quocirca Definitionem præmiſſam, cum ſuis membris obitèr ventilatis, rectè excipit affectuum diſtributio, Idq; vel in Communi, ratione ſubjecti, vel particulari, ratione objecti. Subjectum poſuimus Appetitum ſenſitivum, quia ad Animam ſenſitivam affectus ſpectant; quod hinc clareſcit, quoniam etiam brutis competunt, anima intellectivâ deſtitutis; ſic animalia bruta per facultates ex anima ſenſitiva emanantes, animales edunt actiones; cognoſcunt, appetunt; quia cognitionem ſequitur appetitus; loco moventur; nam nulla crea-

creatura eſt immediatum actionum ſuarum principium, ſed facultates propter actus datæ ſunt, potentiâ naturalis propter naturales actiones; natura enim nil facit fruſtra. Hinc objecto viſo, rapiuntur ad id animalia, ut appetitui indulgeant, odore feruntur canes & Lupi, &c. Obſervandum eſt affectus ad facultatem cognoſcitivam non pertinere, quod ſuperius indigitavi, qvia omnes affectus objectum ſuum ſub ratione boni appetunt vel mali averſantur; quod eſt ipſum ingenium facultatis appetitivæ; cum cognoſcitiva ſub ratione veri aut falſi circa objectum ſuum verſetur.

§. II.

De ipſa Affectuum diſtributione, diverſas videre licet ſententias; ego brevitati litans, præter ea quæ proximè præcedenti paragr. ſubinnui, tritam ac vulgarem diviſionem retineo, quâ in duo genera ſive Claſſes dividuntur: nam omnes affectus verſantur vel circa voluptatem vel dolorem; Per voluptatem hic nil aliud intellectum volo, quam naturalem motionem facultatis appetitivæ, à rebus gratis & jucundis provenientem, quæ naturam conſervat inq; ſtatum ſuum congruum ponit. E contra dolor naturam in ſtatum inconvenientem & plane adverſum locat.

§. III.

Præmissis iis, quæ in specie affectuum naturam & Divisionem concernere visa sunt, rectà in ipsorum specierum enucleationem descendo, quarum primum sibi in 1. Classe Voluptatis seu concupiscentiæ vendicat locú Amor, qui est fons omnium actionum, quæ bonum spectant; idque tali definitione: *Amor est affectus appetitus concupiscentiæ, quo animus ad bonum propendet appetitui sensitivo placens, & cum eo vult uniri.* Nota Quod appetitu sensitivo placeat, ad discrepandam dilectionem, propriè dictam, quæ voluntati arridet, quæ fit cum electione, sedemq; sibi in sola natura Intellectiva & Voluntate vendicat, cui tanquam species subjicitur Charitas, quâ aliquem magni æstimamus. Sine ulteriori expositione defin. pergo ad Amoris causas. α. Causa Principalis Amoris, & per se, est bonum, per modum objecti: trahit enim ad se appetitus noster omnia pulchra, & cum iisdem cupit adunari & copulari, cujus in appetendo habenas, ut licito fiat modo, moderatur alma virtus; ideo Plato, Amorem pulchri desiderium appellavit. Sumitur hic bonum non ἰδικῶς, sed γενικῶς, pro honesto, utili, jucundo, sive ὄντως sive φαινομένως. Amor a. αἰτιολογικῶς & Causaliter consistit in bonitate

nitate attrahente & alliciente ad se quævis pulchra; ἐρωδῶς v. & formaliter in motu cordis, bonum objectum recipere gestientis. β. Minus princip. seu causæ adjuvantes recensentur plurimæ, utpote, Ingenii elegantia, morum comitas & venustas, consuetudo &c. Amorem præterea Philosophi distingvunt in *licitum & illicitum*. *Licitus* seu virtuosus dicitur, qui non sola objecti jucunditate & pulchritudine perficitur, sed potissimum honestate, ratione, & bono per se oritur, qui soli homini competit. *Illicitus* v. qui solum objecti pulchritudine & amœnitate, qua appetitus noster movetur, perficitur, nulla interveniente Virtutis æstimatione, sed ad corporis delectationem, cœcâ libidine, absq; judicio, modo, bonove fine se sensibus insinuans; qui impropriè Amor dicitur & brutis competit, nec non hominibus omninò dissolutis. Dispescitur etiam amor ratione principii, in *naturalem*, *sensualem*, & *rationalem*: sic Magnes amat ferrum, ignis ignem, aqua aquam, amore naturali. Parentum etiam amor erga liberos naturalis est, & dicitur στοργή. Pulchra amamus, fœda horremus, ob sensus. Amor virtutis & odium vitii, rationem sequitur, non sensum, non naturam. Deus amatur non

ex

ex concupiscentiâ naturali, sed ex fide, cui ratio ancillatur: plures distinctiones sed vulgares, offerunt Auctores, quas meritò prætereo.

§. IV.

Altera speciss Voluptatis, seu Appetitus Concupiscentis est *Desiderium*; quod est *Affectus appetitus sensitivi, quo in rem absentem placitam, sive ad habendum bonum quo caret, intensè fertur;* Differt ab Amore α. ratione gradus, quem amore intensiorem habet. β. Objecto; cum tantum in rem habendam & absentem fertur desiderium, amor vero in rem habitam, seu præsentem seu absentem. Notaetiam, quod desiderium sit affectio amoris perpetua, eundemque comitetur, unde & signum & nota dicitur, quâ amor tanquam per notius quid manifestatur E. gr. Morbo qui laberat, amore ardet sanitatis. Mulieres gravidæ ex cerasorum desiderio, effigiem eorum impressere nonnunquam fœtui. Hæc caulat robur Phanthasiæ: sic omnia desiderata magis, quam assiduè percepta delectant.

§. V.

Sequitur tertia species Voluptatis videlicet *Spes*, quam ita definio: *Spes est affectus appetitus concupiscentis, quo animus futurum bonum appetit, sibique possibile consequentem*

concipit. Juxta hanc Definitionem 3. præcipuè notanda : *α. Spei* Objectum in quod fertur, est bonum, idq; *β.* non præsens, sed absens & futurum ; quoniam præsentia bona non speramus. *γ.* Obtentu possibile ; impossibilia enim concupiscì quidem, sperari vero non possunt, docente Ittero p. 64. Dividunt præterea *Philosophi Spem* dupliciter; 1. in *Theologicam*, quæ non omnibus in universum hominibus competit, sed saltem fidelibus, præcipuè circa bona futuræ vitæ in regno gloriæ occupanda. 2. *Politicam.* quæ universaliter ad omnia hujus seculi bona omnesque homines se diffundit in quovis statu, præprimis vero Civili. De hac, hic loci ex professo ago. Unde Thales aliquando interrogatus, quid maximè commune esset omnibus? Resp. *Spes*, quoniam spem etiam illi habent, qui nihil aliud. Differt vero *Spes à fiduciâ*, quia fiducia boni præsentis, spes absentis est. Exempli gratia: qui confidit ingenio in peragendis discursibus, robori in ferendis oneribus, fiduciam habent, non sperant. Non enim *Spes* est, sibi fidere & certam in semet ipso habere fiduciam, loquitur Sperl: in Zool: p. 121.

§. VI.

Ultima Affectus Voluptatis species est *Gaudium*, quod tali expono Definitione: *Gaudium*

dium, est Affectus facultatis appetitivæ ortus ex suavi quâdam spirituum animalium circa cor alteratione, & thalamorum cordis dilatatione & expansione, ad Objectum præsens, speratum ac desideratum suaviter apprehendendum. Nota hic gaudium â lætitiâ differre, ut res signata à signo; quoniam lætitia & hilaritas verum sunt interni gaudii indicium, quorum lætitia in gestibus, hilaritas in vultu conspicitur. Gaudium vero solius cordis est; quod probatur ab Objectis sive præsentibus sive futuris, applaudente quotidianâ experientiâ, dum spiritus ad exteriora corporis feruntur, fieri dilatationem; quod testantur pleni oculi, rubicunda facies, & vividus animus. Econtra, in tristitia contingit cordis constrictio, & ad internas partes rapiuntur spiritus, quod testatur pallor in facie, tabidi oculi & flaccidum corpus; unde Scaliger ad Cardanum: *Non reddit causam, quare spiritus in lætitia feruntur extra, in tristitia retrahantur. Ubi ergo putaris te statuere subtilitatem nescio.* Causa est, quod similia appetunt maximè unionem. Quod non est unum, non est quidem, ita quod est à suo simili separatum, videtur & illud defraudare & ipsum ab illo defraudari, essentiæ quasi complemento. Hæc de Affectibus Volupt.

§. VII.

Sequuntur Affectus Classis posterioris circa dolorem occupati, quorum

1. *Odium*, quod est *Affectus, Objectum ingratum & molestum fugiens & abhorrens, quoniam rei apprehensæ, quod appetitui magis congruat, repugnamus.* Hic attende, Causam odii externam duplicem esse, vel *revera malum*, E. gr. pii odio habent impios, probi reprobos: Vel *apparenter male*, sic Icelerati, vitiorumque mancipia, leges, tam moralem quam positivam omnemque ordinationem piam & Magistratus odio prosequuntur. Distinguitur ab *invidiâ*, quæ soli homini competit quæ oritur vel ex virtute vel ex rebus secundis alterius, unde Virtutis comes invidia! loquuntur tempora nostra. *Odium* autem omnibus animalibus inest.

§. VIII.

2. *Ira est Affectus appetitus Irascibilis, quo quis malum præsens, sive injuriam sibi illatam propulsat, in auctorem dejicit & vindicare nititur.* Ubi Observa Causas iræ Interiores. Notū est iram ab ipsa naturà profluere; quoniā qui sūt Tēperamento calidiori, ipsi magis propendent ad iram, quam frigidiores. *Exteriores* sunt vel *principales*, videlicet, Res & personæ molestiam creantes, vel *administra*, utpote locus, tempus, aliæque rerum circumstantiæ.

Dif-

Differt *ab odio ira* præcipuè ratione Originis. Quoniam ira Generosorum & illustrium est pectorum, odium non, ut paulo ante dictum, vide Coll: Liebentahl. Exer: 6. § 28. In ira datur duplex motus cordis, constrictio & dilatatio; constrictio ob malum quod aversatur; dilatatio ob malum, quod in auctorem rejicere conatur; vehemens admodum motus hic est quo incalescit cor, & sanguinem ac spiritus fervidos in universum corpus diffundit. *Spiritus exeunt*, inquit Scaliger, *quasi suppetias instrumentis laturi.* Producunt enim sese musculi ad ictum inferendum in fortibus &c. vid: Zool: Sperl: c. XXIII.

§. IX.

3. *Metus, sive Timor est Affectus facultatis Irascibilis, cor ob præsens malum declinatu difficile contrahens ac constringens.* Causa Timoris sunt pericula grandia, appetitum irascibilem moventia, quæ non æstimantur evasibilia; ideo dicitur προςδοκία τοῦ κακοῦ & παρὰ τὸ μετιέναι, â Scaligero. *Prodit se timor cordis contractione, ut* Ovid: *Me timor invasit, stabam sine sanguine mœstus:* nec non membrorum trepidatione; postquam enim sanguis spirituosus ad penitiores partes retractus sit, horror quoque sequitur, ob spirituum in partibus exterioribus defectum.

4. *Triſtitia* eſt affectus appetitus iraſcentis, quo ob malum præſens vel futurum ſpiritus cordis contrahuntur, & opprimuntur. Hic Affectus etiam dolor nuncupatur, ſed à triſtitiâ eatenus diſtinguitur, quatenus delectatio à gaudio, ſic triſtitia gaudio, dolor opponitur delectationi. Ut Itterus lib. 2. c. 2. ait. Dari equidem plures affectuum ſpecies haud inficiamur, quæ hiſce tanquam principalibus originem debent, quæ videre licet apud Wendelinum *in Philoſ. Mor.*

PRAXIS.

QVoniam inviti ſæpius perſentiſcimus illicitos appetitus motus, & nitimur in vetitum perſæpe, idcirco præcipuè reſpiciendum, quâ ratione intra honeſtatis cancellos coërceantur, ne pomœria dictaminis *Rectæ Rationis* petulantèr tranſiliant. *In* medio tutiſſimus ibis.

Idque 1. Si æſtimatione ſeriâ perpenderis, quanti decoris ſit, tales inordinatos refrænare ſtimulos, ne pro lubitu, cœleſtem tuam animam conſpurcent.

2. Summa erit dignitas, hujusmodi ἀλαξίας ſuggeſtores compeſcere, libertateque regiâ ſe ornatum præſtare, ſervile jugum viriliter excutiundo; dicente Seneca. *Imperare ſibi ſummum*

mum imperium: quoniam difficilius est quam omnium Graecorum, Universorumq; Barbarorum regnum obtinere, inquit Dion, & Chrysost. *Nemo unquam pravus, aut libidinosus, avarus, superbus, sibi dominatur, sed mancipium diaboli est*; quocirca, in ipso titillationis principio, dum spes affulget, antequam in habitum accrescant, averruncandi, juxta illud *Principiis obsta, serò medicina paratur, cum mala per longas invaluêre moras.*

3. Sensus ab objectis, svavi, dulcique aliisque incentivis & illecebris, nec non cogitationes avertendæ; quoniam per hos tanquam apertos poros, ejusmodi illecebræ in adyta animi intromittuntur. *Non enim potest Metropolis & arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus*; dicit Hieron.

4. Illustrium Virorum attenta inspectio, virtuosis eorum vestigiis insistendo, adhibenda; monente Senecâ: *Utilis regio, salubriusq; cœlum non tam valetudini profuit, quam animis parum firmis in turba meliorum versari.* Feræ enim convictu nostro manvescunt. Sequetur conversationis electio, ut adjungamur probatissimis, præcipuè senioribus; nam ut æqualium usus dulcior, sic senum tutior.

5. Palmarium omniumq; efficaciſſimum Pharmacum eſt devota Numinis imploratio, ut ſancto ſuo adflatu nos ſemper regat.

6. Meritò inſinuanda, hic loci, informatio prorſus egregia, quam nobis reliquit piè defunctus Nobiliſſ: Dn: Michaël Gyldenſtålpe/ quondam Jur. Ut:q; & Philoſ: Doctor & Profeſſ: in Regia hac Acad: celeber. in Ergaſterio ſuo Virtutum pag: 6. ſeqq his verbis: *Affectus ſunt caſtigandi, inordinati ſcilicet, quodq; indomitum reſecandum & eradicandum: Sic Oculus, manus, & pes, quæ offendiculo ſunt, eruuntur, amputantur & abjiciuntur Matth: 5. & 18 Mar: 9 c. Sit deſiderium cum moderatione; fuga abſq; ſtultitiâ, gaudium cum gravitate & in Domino; triſtitia abſq; confuſione; ſpes abſq; præſumptione; Deſperatio ſine puſillanimitate. Timor abſq; diffidentiâ; Audacia cum prudentia; ira cum juſto zelo, non ex invidiâ. Summatim; honeſtis tantum actionibus delectabimur; Turpes vero & inhoneſtas averſabimur.* Quin addit paulo inferius: *Ad quod conſequendum, non modo recta Rationis dictamen in conſilium adhibebitur, ſed & infallibilis actionum humanarū norma Decalogus jugiter ante oculos verſabitur.*

Hiſce probè obſervatis, quibus adhuc ad calcem unicum vel alterum (Si limites diſquiſitionis capiant) ſubjungam, facilè imperio exuuntur turbatores.

MEM-

MEMBRUM QVARTUM.

Selectiores exhibens Qvæstiones.

Qvæstio I.

Utrum Voluntas an vero appetitus sensitivus sit legit: affectuum subjectum? Neg: prius, aff: post.

Celebris non minus quam ardua hæc Quæstio multis temporibus, eruditorum diversis agitata est sententiarum conflictibus, præcipuè inter Peripateticos, & Stoicos, qui ad facultatem cognoscentem seu voluntatem eos reducunt, quorum mentem his verbis exponit Cicero dicens: *Omnes perturbationes judicio Censent fieri & opinione.* Quorum Arg: equidem percenserem, ni instituti ratio inhiberet. Verum primo intuitu, deprehendimus perversam ipsorum assertionem, quam sequentes rationes patefacient.

1. *Quoniam ejusmodi perturbationes quærunt Objectum aut fugiunt, non sub ratione veri aut falsi, quod intellectus est proprium, sed jucundi vel molesti, boni aut mali, quod facultati appetenti competit.*

2. *Nullum accidens invenitur nisi in adæquato subjecto; Affectibus utpote, irâ, gaudio, metu &c. homini cum brutis communibus, etiam pueros recentes,*

usum rationis ignorantes, agitari cernimus; videmus idcircò Intellectum & voluntatem nullomodo esse Affectuum subjectum, quia bruta iisdem carent, & liberi rationis usum antevertentes, nihilominus affectibus moventur.

3. *Quoniam magna commotio Corporis, sanguinis & spirituum Affectus insequitur quod quivis terror & metus, etiã ira ostendit, apparet itaq; affectus non in facultate spirituali, sed materiali radices agere.*

4. *Affectus sæpenumero Voluntatis imperium detrectant eidemq; contrariantur, E. distinctæ à mentis appetitu facultates sunt, videl. inferiorii & imprimis sensitivæ appetẽtii contra Rationalem, quodconfirmat ipsa Scr. S. Rom. 7. 15. 16. &c. Gal. 5. 17. nec non Ovid: Metamorph: lib: 7.*

Nam trahit invitum nova vis aliudq; cupido,
Mens aliud suadet, video meliora proboque
Deteriora sequor.

Pro adæquato affectuum subjecto in Membr. 2. & 3. nonnulla attuli, quæ hisce junctæ, sufficienter contra Adversariorum rationes militabunt.

Quæstio II.

An Affectus suâ naturâ sint pravi? Neg:

Agitata etiam est hæc Quæstio inter Peripat: & Stoicos: quorum hi, eó impudentiæ progressi

greſſi ut affirmare non vereantur, ejusmodi perturbationes tanquillitati mentis humanæ contrarias esse, quasi, à depravatâ ratione Ortũ traxerint; quoniam per hos affectus vid: *iram, amorem, tristitiam &c.* homo sæpe pervertitur & à mente alienatur, E. eosdem toto genere vitiosos æstimant, nescii distingvere inter *perturbationes* & *affectus*; *illi* latius patent quã *hi*. Nos verò contrariam, luce veritatis irradiatam fovemus legem, in penitiorem affectuũ descendentes conditionem haud incommode hic. loci B. Kempii aperientes sensum in Phil: ejus Mor: p. 106. seq. affectus Physicè considerati, omnes boni sunt, *in* & *per se*, bonitate silicet *naturali*; à Deo namq; sunt & ipsa natura; *Ethicè* vero & *moraliter* spectati nec boni nec mali, nisi quatenus cum rectâ Ratione consentiunt, vel ab ea dissentiunt. Qui rationis imperio subjiciuntur, boni æstimantur, qui vero exorbitant mali existunt. Rectè Augustinus de *Civ: Dei: In disciplina nostra non tam quæritur utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur: nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis: nec, utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, ut corrigatur; contristari pro afflicto, ut liberetur; Timere periclitanti, ne pereat; nescio utrum quisquam sanâ ratione reprehendat.* 2. Argumentamur è causis

affe-

affectuum: Quicquid originaliter dependet à Causa optima, effectusque spargit insignes, illud malum dici non meretur; at affectus tales sunt, E. Major suâ luce radiat. Min: probatur, Agnoscunt affectus ut cœtera omnia naturalia bona causam Efficientem Deum Ter. Opt. M. omnis boni auctorem, Jac. 1, 17. qui ejusmodi licitos motus humanæ naturæ non solum implantavit, verum etiam exigit creberrimum eorundem exercitium, in nominis sui divini gloriam & proximi nostri non minus auxilium, quam solatium; quod prolixè testatur Sacer Codex Deut: 6. 5. Matth: 22. 37. ἀγαπήσεις κύριον τὸν Θεόν σε, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ &c. καὶ πλησίον σε ὡς σαυτὸν, Luc: 6: 36: γίνεσθε οἰκτίρμονες. &c. si ausim dicere tota S. Biblia ferè passim urget *Amorem & timorem Dei*, nec non *dilectionem proximi*. Ut causa optima, ita Effectus insignes ac boni censendi. Sacra *spes* fidelibus anchora, in quavis afflictione firmissima, nunquam confundens, quam insignia cultoribus suis præstet munia, testantur exempla Josephi, Danielis, Trium Virorum fornace ardenti plexorum; nonne effectus illustris? *Amor* seu *misericordia*, effectus non minus Deo quam hominibus gratissimos relinquit, quos Christus summè deprædicat Matth. 25. *Misericordes* impunitatem inducit pœnarum

narum; ut superius dicto Augustini subinnuit. Idem judicium de reliquis. 3. In societate civili, nullis ornatus affectibus, truncí potius quã hominis speciem gerit; e. g. qui justè neminem amat, nil timet, nullius miseretur, nil sperat, nullâ re lætatur, nullâ tristitiâ afficitur, hic certè infra brutorum dejectus conditionem nulli rei idoneus est. 4. Superpondium addit Liebenthal p. 109. in Coll: Eth: *Non tamen abs re est affectus interdum â propria sua essentiâ degenerare & per accessiones extrinsecas in malis & vilibus hominibus depravari, uti videmus in invidiâ & ἐπιχαιρεκακίᾳ. Sed uti naturam suam, quæ per se bona non exuit malus; ita nec affectus per se boni esse desinunt, quamvis, uti dictum per accessiones extrinsecas interdum corrumpantur & in pravos degenerent.*

Quæstio III.

Unde provenit Rationis & Appetitus pugna seu affectuum rebellio; & an ante lapsum fuerit Homini naturalis?

Diversorum tam saniorum Ethnicorum, quam modernorum Philosoph. nec non Theologorum extat sententiarum disparitas, quorũ omnes quidem, pugnam rationis & appetitus sentire se profitentur; verum Causam, eorundemq; originem in dubium vocant. Galenus cum suis asseclis, eos ὀλιγῳ̃ς à tempera-

peramentis originem trahere statuit, utpote nos concedimus, sangvineos ad lætitiam & amorem, bilioſos ad iram, Melancholicos ad triſtitiam, phlegmaticos ad metum eſſe proclives; nec non diverſos reperiri climatum populos, ut videre eſt apud Wendelinum & ſatis prolixè. Hoc tamen notandum, ex *temperamentis de Affectibus*, infallibile judicium non colligi; ratio eſt, quoniam temperamenta inclinant, non neceſſitant. Pontificii naturam cum rebellione virium creatam eſſe contendunt; ut verò iſta rebellio coëreeretur, addidiſſe Deum donum ſupernaturale juſtitiæ originalis, quâ amiſſa per lapſum, rebellio iſta manſit. Noſtrates verò Theologi lumine revelato ornati, accuratius in eorundem cauſas inqvirunt, & Ratione principii & incrementorum oſtendentes varietatem affectuum, ſeu rebellionem non naturæ per creationem, ſed per ἀποστασίαν nunquam ſatis deplorandam protoplaſtorum, introductam eſſe, atque ſic ante lapſum non fuiſſe homini naturalem; quoniam imagine Dei ſanctiſſimâ illuſtris erat, nullâq; ἀνομίᾳ vel appetituum ἀταξίᾳ infeſtabatur; ſed exacta omnium facultatum, ſuperiorum & inferiorum erat harmonia: quod prolixius & egregiè explicat, ſummus noſter Theologus Max. Rev. Dn. *Doctor Enevald. Spanonius* in ſuâ Synopſi Theol. loco

de

de imag; Dei. nec non Brochman: Tom; 1. p. 124. de primo homine, & plures alii.

QVÆSTIO IV.

An Timor ſit vituperandus. Neg.

Afferunt non nulli, argumentis à naturâ Objectorum petitis, præſumentes cujuslibet Objectum timoris eſſe vituperio dignum, & per conſequens ipſum Timorem. Verum ſaniori rationis indagine rem ponderantes facilè perſentiſcimus contrarium verum eſſe: adhibita diſtinct. inter *Timorem Naturalem, legalem & moralem.* Timorem *naturalem* cunctis ineſſe hominibus facile patet, quoniam quisque pro virili deſtructionem ſui, ab Objecto ingrato repræſentatũ propulſare annititur; qui eò proveniens, motione cordis & peculiari diſpoſitione manifeſtatur: Quod de Salvatore noſtro Domino Jeſu Chriſto tempore humiliationis ſuæ etiam aſſerimus, tamen ille nequaquam vitioſus dicendus: abſit! avertat DEUS! Alter *legalis*, lege divina nobis commendatus, quam Theologi dividunt in *ſpiritualem* ſeu *filialem*, cui opponitur *ſervilis*. *Ille* nihil aliud eſt, quam pii hominis erga Creatorem ejusque legem religioſa reverentia, quâ Deum ejusque præcepta reverentèr colimus. Nec non ſingulari vigilantia, remotâ ſecuritate, ignita tela diabolica

retor-

retorqvemus, adhibito timore, ne nos vafertimus ille hostis expugnet; ut & dispellendo mundi, carnisque nostræ illecebras, quæ nos in vitia pronos facilè decipere possunt, ad monitum Spiritus Sancti: *Cum timore & tremore operamini salutem.* Hic itaque omni laude ornandus. *Timor* verò *Civilis* est obedientia & honor erga Magistratum & Parentes, &c. Qvi exeritur reverentiâ, amore, obedientia, gratitudine, æquitate, &c. *hic* neque culpandus, quoniam Deus ipse eum nobis injunxit. Tertius *Moralis* datur, qui dividitur in *ordinatum*, qui est moderata passio, è motu cordis, sive appetitu sensitivo, objectum ingratum repudiante, orto, rectæque Rationis dictamini subjecta; qui bonus est. *Inordinatus* verò est habitus vitiosus fortitudini oppositus. Distingvunt etiam Ethici inter Objectum timoris, ὑπὲρ ἄνθρωπον, ut tonitrua, terræ motus, fulmina &c. quæ sanè metuenda, & κατ' ἄνθρωπον, ut infamia, ignominia, inhonesta: plura petantur penes Auctores.

Quæstio V.

An ira in Deum cadat nec ne?

Removent è grege porci Epicurei, nec non Stoici à Deo, sicuti omnes in universum affectus, ita etiam iram, quam suam assertionem, argumen-

argumentis (ut putant) haud ſiculneis, ſtabiliunt; occaſionem inprimis ab ipſâ iræ definitione deſumentes; deinde ab iræ proprietatibus, quod ſit dolori juncta, qui in Deum non cadit. Ulterius ab ejusdem genere, quo negato etiam ſpeciem negari ſtatuminant; quoniam genus iræ eſt accidens; & quæ ſunt reliqua. Verùm primo intuitu eorum molimina ruunt; neſciunt enim α. diverſam eſſe iræ Definitionem quam Deo tribuimus, ab ira hominis; quoniam κυρίως & propriè homini competit, Deo verò ἀνθρωποπαθῶς, quæ nil aliud eſt quam juſta Dei peccatorum averſatio, peccatorumque præfractorum ultio, & hæc ordinata meritò nuncupatur, nulla laborans ἀτάξίᾳ, atque ſic ab omni imperfectione eſt liberanda. Diſtinct. β. Inter iram in *Creatore* & *creaturis*; in *his* accidēs eſt, in *illo* non, dicente Dithm. Syſt. Eth. l. II. p. 70. In Creatore ira non eſt *formaliter*, ſed *virtualiter*, non *Affectivè* ſed *Effectivè*. Nam ſi Formaliter & Affectivè, hoc eſt propriè & per modum inhærentiæ ira in Deum caderet, tum in Deo eſſet alteratio, quia ira propriè ſic dicta alterationem importat. Fundamentum præterea noſtræ Aſſertionis; eſt ipſa Script. Sacra qua immota nititur, Pſ. 2. v. 5. loquetur ad eos in ira ſua & in furore conturbabit eos.

Rom. 1. v. 18, Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων. Plurima essent illa Scripturæ testimonia quæ pro me militant. Testantur hoc antediluviani, referunt Chorah, Dathan, Abiram. Declarant Sodoma, Gomorrha, Aboim, &c. Pharao etiam; qui omnes justæ iræ divinæ dederunt pœnas. Nonne referat idem Decalogus, & vir non indutus veste nuptiali? Imo tota Biblia, æternæ veritatis divinæ, Stoicis, Epicureis, etiam modernis hominibus dissolutis, iram Deo amoventibus, silentium imponunt.

Plures Quæstiones, singulas affectuum attingentes species, primò quidem in animum induxi ventilare, dum vero instituto huic varia occurrere obstacula viderim, arctioribus easdem claudere limitibus necessum habeo. Quocirca obstrepentibus animi motibus, sequens antidotum cœleste oppono, quod solum potens erit eos ad normam rectæ Rationis flectere, inque viâ regiâ detinere;

Ocu-

Oculum omnia videntem: Aurem omnia audientem:
Librum in quo omnia noſtra dicta & facta inſcribuntur.
ἵνα ἀρνησώμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως, καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι; quod operetur in nobis Deus, propter Chriſtum, in nunquam determinanda ſecula concelebrandus!

COROLLARIA.

Logicæ genus eſt Ars; quæ in omni ſciendi genere utilitatem præſtat inſignem.

Prima bonitas eſt menſura omnis boni.

Finitum in eſſentia eſt finitum in omnibus attributis.

Propria à ſuis ſubjectis naturaliter ſeparari neqveunt.

Attributa divina non debent vocari accidentia.

Formæ è potentia materiæ non educuntur.

7. Nulla ſpecies perit, nec de novo oritur.

8. Aquæ ſupracœleſtes ſunt ejusdem naturæ cum ſubcœleſtibus.

9. Scintillatio ſtellarum non eſt realis.

10. Globus ſiſtitur ad elevationem poli & verticem cœli.

11. Recta ratio, qua talis, errare nequit, ſed ſemper ſibi uniformis eſt, licet omnia, in rebus naturæ circulo comprehenſis, non aſſequatur.

12. Philoſophia Theologiæ per ſe non adverſatur, ſed pulcrè inſervit.

13. Uſus Affectuum eſt bonus, ſi iisdem ut famulis utamur, non ut Dominis obſequamur.

SOLI DEO GLORIA.